

## LIBER XV.

## CAPVT I.

Quid sit tacitam pensionem fieri ratione doli exceptionis in l. 67.

D. de legat. 2.

**C**erti juris est, hodie compensationem sive pensionem mero iure; ipso iure, tacito iure fieri in omnibus iudiciis, tam bonae fidei, quam strictis, etiam non opposita exceptione doli, l. 21. D. de compensat. l. 36. D. de administrat. tutor. et hoc ipsum est, quod ait PAPINIANVS in l. 67. §. 3. D. de legat. 2. tacitam pensionem induci, eadem ratione, qua ceteri, qui sunt ex familia, ad fideicommissum admittuntur, ut scilicet heres ex eadem familia institutus ab herede fidei commisso onerato, quia extitit conditio fideicommissi fundo extero legato, possit ceteris pertinentibus solidum fundum reputare, et pensare portionem virilem sibi obtingentem et debitam ex priori testamento. Nam etsi petitionem pro sua parte non habeat, quam aditio hereditatis confudit atque peremit, compensationem tamen habet integrum, ut et in plerisque aliis casibus iuris nostri contingit. Neque uero ei, quod dicit, tacitam pensionem induci, quidquam obstat, quod ante significauit eodem loco, eam fieri ratione doli exceptionis. Fit enim et quae tacito iure fit ratione doli exceptionis, ut l. 12. D. ad leg. Falcid. l. 69. §. ult. D. de legat. 2. l. 50. D. de petit. heredit. non quam exprimi, opponi, et actionis formulae subiici necesse sit, (aliud enim est opposita exceptione, aliud ratione doli exceptionis), sed quae inest hodie omnibus iudiciis ex causa compensationis, ex alia causa iudiciis tantum bonae fidei, l. 84. §. 5. D. de legat. 1. l. 21. in fin. D. solut. matrim. Sicut et quaelibet alia exceptio, l. 36. D. de oper. libertor. l. 1. §. 7. D. quar. rer. act. non dat. l. 3. D. de rescind. uendit.

## CAPVT II.

Ad eiusdem legis §. 5.

**I**nter hoc genus fideicommissi: peto uni ex familia mea, cui uoles, fundum illum relinquis; et illud: peto, ne fundus ille de familia mea excusat, communia haec sunt, quod heredis est electio, cui uelit ex familia fundum relinquere, et ea quidem ambulatoria usque ad supremum uitae exitum, et quod ei, quem elegerit, frustra testamento suo heres legat eumdem fundum, et quod ab eo, quem elegerit, frustra fideicommissum relinquunt, praeter quam uno casu, si ampliora legata ei legauerit, et quod non tantum unum heres eligere, sed et duos uel plures, uel omnibus relinquere potest, et quod nemini ex familia fundo relicto, omnibus, qui sunt eiusdem nominis et familiae, fideicommissi petitio competit. Differentiae autem hae sunt: fideicommisso relicto uni ex familia, si heres unum ex familia elegerit, et in ea uoluntate perseuerauerit usque ad mortem, uel si uni ex familia fundum legauerit, quod legatum nihil aliud est, quam electio suprema, non iure proprio legari censetur;

Rrr 3

uel